TOMI I. PARS XI.

REFORMATORII
IN CONCILIO CONSTANTIENSI

DECRETA
DE REGIMINIS ECCLESIASTICI EMENDATIONE.

FELICISSIMIS AUSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.
DUCIS &c.

Ex *vetustissimo Codice MSCto*
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ
VINDOBONENSIS
eruta ab

HERMANNO von der Hardt/
Acad. Jul. Professore.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII,
HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MSCt. VINDOBONENSE
Actorum Concilii Const. Tom. IV.

* * *

AVISATA
In
REFORMATORIO
CONCILII CONSTANTIENSIS
per
XXV Prælatos
&
Doctores.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Erudito Lectori

S. D.

HERMANNUS von der Hardt.

Eminum dedimus *Reformatorii in Concilio Constantiensi Protocollum*, quod desideratam Ecclesiæ illius temporis Reformationem concerneret. Quid illa tempestate *in Ecclesiastico statu, regimine, fatis*, fuerit desideratum, ex his elucet. Quanto etiam molimine *emendationem formæ Ecclesiasticæ* fuerint moliti in Concilio isthoc œcumenico Viri illustres, exinde manifestum. Ingens profecto sollicitudo, non brevi impetu finita ac terminata. Non unius hoc in tam celebri Concilio fuit diei opus, non unius anni. Continuum per omnem propemodum Concilii ambitum omnium in Christiano orbe Nationum hoc fuit studium. Admirabilis quoq; consultandi modus, inter Nationes probatus atque in celeberrimo isthoc Concilio curate servatus, quem in præfatione Partis X. designavimus.

Quod igitur perardua hæc essent negotia, totius Ecclesiæ salutem attingentia, non mirum, diutius esse deliberatum, frequentius consultatum, & acrius interdum de his argumentis disputatum. Quas *abolenda Concilii ope Annatarum materia* pepererit animorum motiones & acerbas concertationes, *Natio Gallicana* palam in ipso Concilio denunciavit, *historiâ* longæ de hoc Emendationis momento dimicationis *editâ*, quam alio hujus Tomi loco integram sistemus.

Etiamsi vero plerique Reformationis articuli *placide atque sine motu* proponerentur in Reformatorio, ac in Nationibus *tranquille discuterentur*: Non defuere tamen *scrupuli*, qui pro ingeniorum, affectuum,

ctuum, nationum discrimine, eruditos Reformatorii Assessores sæpenumero vehementer urgerent. Nec enim par indoles omnium Nationum, nec idem genius consultantium. Magnum proinde negotium *unanimis* de quovis puncto *consensus*. Desideravit igitur causa non una *longius deliberandi*, coeundi, atque conferendi *spatium*.

Imo quantumvis unanimibus votis in eandem omnes Nationes concessissent sententiam, *uberioris* tamen *confirmationis* aut illustrationis gratia *sæpe sub incudem revocata definitio*, decretumq; limatum, & meliorem in formam vel ordinem digestum. Donec omnium Nationum voluntas apta oratione vestita, suisq; debitis verborum limitibus circumscripta consignaretur. Præcipue, postquam nova indies deliberatio post longam meditationem, repetitionem, maturamque concoctionem, *cautius quædam determinare*, cancellos novos jungere, arctiusque universa concludere suasit.

Quæ ergo *luculenta Reformationis Ecclesiasticæ*, in Concilio Constantiensi quæsitæ, tentatæ, ac definitæ, *argumenta*, ex gemino superiori Protocollo Reformatorii Constantiensis constant, uberius mox sunt examinata, distinctius ponderata, ac clarius sensim explicata.

Damus idcirco hac parte *luculentiorem* atque concinniorem quorundam in Reformatorio *decretorum ideam*, pleniori consultatione partam. Neque verò omnes Reformationis articuli, aliàs in Concilio ventilati, in superioribus Protocollis expressi, & posthac dilucidius atque copiosius ex MSCtis recensendi, hoc opusculo commemorantur. Est duntaxat hoc quoddam *Compendium*, præcipuarum quarundam constitutionum sententiam complectens.

Publicum autem & hoc esse *Reformatorii Constantiensis monumentum*, ipsa nunciat expressa *opusculi inscriptio*, quæ habetur in *CODICE MSCto AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS: AVISATA IN REFORMATORIO PER XXV. PRÆLATOS & DOCTORES.*

Quanquam verò non dissimilis Nationum sententia in superiori gemino Reformatorii Protocollo jam esset exhibita, præsens tamen affine monumentum ob argumenti propinquitatem negligere, nefas fuit. Imo in ipsam tantæ rei historiam haud levis hæc esset injuria, repetita quædam vel & leviter mutata rei fata præterire. Quin decreti renovati auctiq; integritas lucem nanciscitur insignem ex sententiæ similitudine. Confirmatio itaque hæc, illustratio atque obsignatio, mitti à nobis haudquaquam debuit.

Agnoscet publica res literaria & hanc historiæ Constantiensis Concilii, inq; eo Reformatorii partem, eamq; cum ceteris conservatam ac in nostra tempora propagatam amplectetur.

(o)

REFOR-

REFORMATORII *in Concilio Constantiensi* DECRETA DE REGIMINIS ECCLESIASTICI EMENDATIONE.

Ex vetustissimo Codice MSCto *AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.*

CAPUT I.

De futuris conciliis celebrandis.

Generalia concilia frequenter celebranda.

HOc *decreto perpetuo* sancimus, decernimus & ordinamus, ut amodo *generalia concilia celebrentur*. Ita, quod *primum* à fine hujus concilii in quinquennium immediate sequens, *secundum* verò a fine illius sequentis concilii in septennium, & deinceps *de decennio ad decennium* perpetuo celebrentur, in *locis*, quæ summus Pontifex per mensem ante finem cujuslibet concilii, *approbante & consentiente concilio*, vel in ejus defectu *ipsum concilium* deputare & assignare teneatur.

Singulis decenniis.

Locum Concilii definiat Pontifex.

Vel Concilium.

Ut sic per quandam *continuationem* semper aut *concilium vigeat*, aut per termini pendentiam *expectetur*.

Concilium non differat Pontifex.

Quem terminum liceat summo Pontifici, de fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, ob emergentes forte casus, *abbreviare*. Sed *nullatenus liceat* eidem summo Pontifici, etiam de fratrum consilio *prorogare*.

Locum concilii non mutet Papa.

Locum autem, *pro futuro concilio celebrando deputatum*, absque evidenti necessitate *non mutet*.

Sed, si forte *casus* aliquis occurreret, quo necessarium videretur ipsum locum mutare, puta obsidionis, guerrarum, pestis aut similis: Tunc liceat summo Pontifici, de prædictorum fratrum, aut duarum partium ipsorum consensu atque subscriptione, alium *locum* prius deputato *viciniorem* & aptum *sub eadem tamen natione* surrogare. Nisi idem *impedimentum per totam illam nationem* vigeret. Tunc ad aliquem alium viciniorem *alterius nationis* locum aptum, hujusmodi concilium poterit convocari. Ad quem Prælati & alii, qui ad concilium solent convocari, accedere teneantur, acsi à principio locus ille fuisset deputatus.

Nisi certis casibus.

Quam tamen *loci mutationem* vel *termini abbreviationem* teneatur dictus summus Pontifex legitime & solenniter per annum ante præfixum terminum *publicare* & intimare, ut ad ipsum concilium celebrandum possint prædicti statuto termino convenire.

CAPUT. II.

Provisio adversus futura schismata præcavenda.

SI vero, quod absit, in futurum *schisma* oriri contingeret, ita, quod duo vel plures pro summis Pontificibus se gererent: A die, quo ipsi duo vel plures insignia pontificatus publice assumserint, seu administrare cœperint, intelligatur ipso jure *terminus concilii*, tunc forte ultra annum

Tempore schismatis Concilium maturandũ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

annum pendens, ad annum proximum *breviatus.*

Ad quod omnes *prælati* & cæteri, qui ad concilium ire tenentur, sub pœnis juris & aliis per concilium imponendis, *absque alia vocatione* conveniant.

Nec non *Imperator*, cæterique *Reges* & *Principes*, vel personaliter vel per solennes suos nuncios, tanquam ad commune incendium extinguendum per viscera misericordiæ Jesu Christi ex nunc exhortati, concurrant.

Et *quilibet* ipsorum *pro Romano Pontifice se gerentium* infra mensem à die, qua scientiam habere potuit, alium vel alios assumsisse papatus insignia, vel in papatu administrasse, teneatur sub interminatione maledictionis æternæ, amissionis juris sui, quod forsan sibi quæsitum esset in papatu, quam ipso facto incurrat, & ultra hoc ad quaslibet dignitates active & passive sit inhabilis, *concilium* ipsum ad terminum anni prædictum, loco prius deputato celebrandum, *indicere* & publicare, & per suas literas competitori vel competitoribus, ipsum vel ipsos provocando ad causam, & cæteris prælatis ac principibus, quantum in eo fuerit, *intimare*, nec non termino præfixo sub pœnis prædictis *ad locum concilii personaliter se transferre*, nec inde discedere, donec per concilium causa schismatis plenarie sit finita.

Disidentes Papæ in Concilio compareant.

Hoc adjuncto, quod *nullus ipsorum contendentium de papatu in ipso concilio ut Papa præsideat.*

Contendentium Pontificii nullus in Concilio præsideat.

Quinimò ut tanto liberius & citius Ecclesia unico & indubitato pastore gaudeat, *sint ipsi omnes de papatu contendentes*, postquam dictum concilium inceptum fuerit, *autoritate hujus sacræ synodi* ipso jure ab omni administratione *suspensi*, nec eis aut eorum alteri, donec *causa ipsa per concilium terminata* fuerit, à quoquam sub pœna fautoriæ schismatis obediatur.

Disidentes Papæ ab omni cura Papatus suspensi.

Concilium schisma componat.

Cap. III.

De remedio electionis Papæ factæ per metum.

Illegitima Papæ electio.

Quod si forte *electionem Romani Pontificis per metum*, qui caderet in constantem, seu impressionem, fieri contingat, ipsam *nullius* decernimus *efficaciæ*, vel momenti, nec posse per sequentem consensum, etiam metu prædicto cessante, ratificari vel approbari.

Non tamen liceat Cardinalibus ad aliam electionem procedere, nisi ille sic electus forte renunciet vel decedat, donec *per generale concilium de electione illa fuerit judicatum.* Et si procedant, nulla sit electio ipso jure.

De electione Papæ illegitima judicet Concilium.

Sintque sic secundo eligentes & electus, si se papatui ingesserit, omni dignitate, honore & statu, & cardinalatus & pontificali ipso jure privati, & inhabiles de cætero ad easdem, etiam ad papalem. Nec aliquis eidem secundo electo ut Papæ sub pœna fautoriæ schismatis obediat quoquo modo. Et eo casu *concilium de electione Papæ provideat* illa vice.

Sed liceat, imo & teneatur *totum collegium*, saltem major pars ipsorum, quam cito sine periculo personarum poterunt, etiamsi periculum omnium bonorum immineat, *se transferre ad locum tutum*, & *metum* prædictum *allegare* coram notariis publicis & notabilibus personis ac multitudine populi in loco insigni. Nec ultra proximum concilium ullo modo possint differre.

Cardinales in Concilio electionem incongruam exponant.

Teneantur insuper, postquam se transtulerunt, & metum allegaverunt modo prædicto, *provocare sic electum ad concilium.* Quod concilium si ultra annum pendeat à die provocationis hujusmodi, intelligatur ad annum, ut supra, ipso jure terminus breviatus.

Et nihilominus teneatur *electus ipse* sub pœnis prædictis, & *Cardinales provocantes*, sub pœnis amissionis Cardinalatus & omnium beneficiorum suorum, quam ipso facto incurrant, infra mensem à die provocationis, conciliū, ut su-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ut supra dicitur, indicere, *publicare*, & quam citius poterunt, intimare, & ad locum concilii tempore convenienti personaliter se transferre, & usque ad finem causæ expectare.

Teneantur quoque Prælati & cæteri, ut supra, ad convocationem Cardinalium tantum, si forte sic electus convocare cessaret, accedere.

Qui *sic electus in concilio ipso non præsideat*. Quinimo sit à termino initiandi concilii ipso jure *ab omni administratione papatus suspensus*. Nec sibi à quoquam, sub pœna fautoriæ schismatis, quomodolibet obediatur.

Quod si infra annum ante diem indicti concilii contingant supra dicti *casus*, videlicet, quod plures se gerant pro Papa, vel quod unus per metum seu impressionem eligatur: Censeantur ipso jure tam gerentes se pro Papa, quam electus per metum seu impressionem, & Cardinales, ad dictum concilium provocati. Teneanturque in ipso concilio comparere personaliter, causam exponere, & *judicium concilii* expectare.

Judiciũ Concilii

Sed si dictis casibus occurrentibus contingat forte *casus* aliquis, quo necessarium sit locum concilii mutare, ut obsidionis, vel guerræ aut pestis aut similis, teneantur nihilominus tam supradicti, quam omnes Prælati, cæterique, qui ad concilium ire tenentur, *ad locum proximiorem*, ut præmittitur, qui sit habilis ad concilium, convenire. Possitque *major pars prælatorum*, quæ infra mensem ad locum dictum declinaverit, illum sibi & aliis pro loco concilii deputare. Ad quem cæteri venire teneantur, acsi à principio esset deputatus.

Et si forsan *generali vigente & durante concilio*, electio per metum aut impressionem præcedentem fuisset facta, teneantur hujusmodi metum seu impressionem prætendentes, dum tamen metus & impressio notorie & evidenter cessaverint, ipsum metum seu impressionem, *antequam ipsum concilium dissolvatur*, publice & canonice allegare, & deducere. Et si ipsum metum seu impressionem *in ipso concilio allegare* non curaverint, ipsum seu ipsam finito dicto concilio allegandi audientia sit penitus interdicta.

Tunc autem metus seu impressio notorie & evidenter cessare intelligatur, quando ipsam cessasse *per sacrum concilium* fuerit *declaratum*.

Si vero metus seu impressio hujusmodi non cessaverint, teneantur ipsam prætendentes illa finito concilio prosequi, ut superius continetur.

Concilium autem, ut præfertur, convocatum & congregatum, *de hujusmodi schismatis causa cognoscens*, & in contumaciam electorum, seu gerentium se pro Papa, seu Cardinalium, si forte venire neglexerint, *litem dirimat*, *causamque definiat*, & culpabiles in schismate procurando, seu nutriendo, vel in administrando aut obediendo, vel administrantibus favendo, seu contra interdictum superius eligendo, vel calumniosos in allegando metum, etiam ultra prædictas pœnas, cujuscunque status, gradus, seu præeminentiæ existant, Ecclesiasticæ vel mundanæ, sic puniat, ut vindictæ rigor transeat cæteris in exemplum.

Concilium litem Paparum dirimat.

Ut autem metus, seu impressionis molestia, in electione Papæ eò formidolosius evitetur, quò toti Christianitati lamentabilius eorum incussio seu factio perpetratur: Ultra prædicta *specialiter duximus statuendum*, quod, si quis hujusmodi metum vel impressionem aut violentiam electoribus ipsis, vel alicui eorum in electionem Papæ intulerit, seu fecerit, aut fieri procuraverit, vel factum ratum habuerit, aut in hoc consilium dederit, vel faventem facientemque scienter receptaverit vel defensaverit, aut negligens in executione pœnarum inferius memoratarum extiterit, cujuscunque status, gradus, seu præeminentiæ fuerit, etiamsi Imperiali, Regali, Pontificali, aut alia quavis Ecclesiastica vel seculari præfulgeat dignitate, illas pœnas ipso facto incurrat, quæ in constitutione felicis recordationis *Ponifacii Papæ VIII.* quæ incipit: *Felicis*, *Sexto Decretal. l. 5. tit. 9. c. 5.* continentur, illisq; effectualiter puniatur.

Pœna schisma Papale foventium.

Civitas vero, etiamsi, quod absit,

urbs Romana fuerit, & alia quævis universitas, quæ talia facienti consilium vel auxilium dederit aut favorem, vel infra mensem saltem taliter delinquentem, prout tanti facinoris enormitas exegerit, & facultas ei affuerit, non duxerit puniendum, eo ipso subjaceat Ecclesiastico interdicto. Et nihilominus, præter dictam urbē, Pontificali, ut supra, sit eo ipso dignitate privata, non obstantibus privilegiis quibuscunque.

Volumus insuper, quod *in fine cujuslibet concilii generalis* hoc decretum solenniter publicetur. Nec non quandocunque & ubicunque Romani Pontificis electio imminebit facienda, *ante ingressum conclavis legatur*, publicetur, intimetur.

Cap. IV.

Professio Papæ, avisata in Concilio Constantiensi.

Summus Pontifex summa virtute emineat.

QVanto Romanus Pontifex eminentiori inter mortales fungitur potestate, tanto clarioribus ipsum decet fidei vinculis, & sacramentorum Ecclesiasticorum observandis ritibus alligari.

Eapropter, ut in futuris Romanis Pontificibus in suæ creationis primordiis *singulari splendore luceat plena fides*, statuimus & ordinamus: Quod deinceps *quilibet in Romanum Pontificem eligendus*, antequam sua electio publicetur, coram suis electoribus publice *confessionem & professionē* faciat infra scriptas.

Juramento fidem suam interponat.

In nomine sancta & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus S. Amen.

Ego N. electus in Papam, omnipotenti Deo, cujus Ecclesiam suo præsidio regendam suscipio, & beato Petro Apostolorum Principi corde & ore confiteor, & profiteor, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me credere & tenere fidem catholicam, secundum traditiones Apostolorum, generalium conciliorum, & aliorum sanctorum Patrum, maxime autem sacrorum octo conciliorum universalium, videlicet primi Nicæni, secundi Constantinopolitani, tertii Ephesini, quarti Chalcedonensis, quinti & sexti item Constantinopolitani, & septimi item Nicæni, octavi quoque Constantinopolitani, nec non Lateranensis, Lugdunensis & Viennensis generalium etiam conciliorum, & illam fidem usque ad unum apicem immaculatam servare, & usque ad animam & sanguinem confirmare, defensare & prædicare: Ritumq; pariter sacrorum, Ecclesiæ Catholicæ canonice traditum, omnimode prosequi & observare. Hanc autem confessionem & professionem, per notarium Scriniarum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ me jubente scriptam, propria manu subscripsi, & tibi, omnipotens Deus, pura mente & devota conscientia super tali altari sinceriter offero: In præsentia talium. Etc. Actum &c.

Cap. V.

Quod Papa bona Ecclesiæ non perdat, sed recuperet ea juxta suum posse.

Pontifex ne dilapidet.

UT Romanus Pontifex nedum circa *spiritualia* attenta consideratione versetur, sed etiam *temporalia*, sine quibus spiritualia diu subsistere nequeunt, provida dispensatione studeat gubernare, hoc *perpetuo valituro decreto* rationi fore consonum, & *moribus antiquis conveniens*, declaramus: Quod quilibet *Romanus Pontifex* ante suam inthronisationem *promissionem faciat*, solenni interposito juramento, quod regna, dominia, provincias, civitates, oppida, castra, villas, territoria, possessiones, superioratus, jurisdictiones, nobilitates, pensiones, census, decimas, reditus, & alias res cæteraq; jura, & quæcunque bona immobilia Romanæ & aliarum Ecclesiarum non alienabit, nec in feudum novum seu emphyteosin dabit: Sed ea omnia indiminuta, quantum in eo fuerit, conservabit, recuperabitq; perdita juxta posse.

Temporalia Ecclesiæ bona

CAP.

CAP. VI.

Quod Papa non solum de hæresi, sed & de alio crimine, scandalizante Ecclesiam universalem, & simonia, possit deponi.

NE sancta mater Ecclesia summi Pontificis, si, quod absit, laberetur, detestanda cogatur vitia sub dissimulatione lamentabili pertransire, nonnullorum antiquæ dubietatis articulum declarantes, hoc *decreto perpetuo* definimus: Quod *summus Pontifex non solum de hæresi, sed etiam de simonia notoria*, tam circa sacramenta, quam circa beneficia Ecclesiastica, & *quolibet alio notorio crimine gravi*, Ecclesiam Dei universalem notorie scandalizante, de quo canonice monitus & incorrigibilis extiterit, *per generale concilium puniri* valeat, ac deponi etiam de papatu.

Pontificē ob simoniam sede per Concilium debere moveri.

CAP. VII.

De indebita & inordinata electione Prælatorum præteritorum in Alemania, & de præcavenda futura. Avisamentum per M. Job.

QUia proh dolor nimius *abusus in promotione Episcoporum*, præsertim *in partibus Alemaniæ* inolevit: Nec speratur de facili posse executioni demandari, quod *eligantur Doctores vel graduati*, maxime quia *imperfectum scientiæ* quasi communiter in tota Alamania non tam supplet perfectio charitatis, quam nobilitas sanguinis vel potentia amicorum: Et quia Decretalis, *Decretal. lib.* 1. *tit. VI. De Electione, cap. XIX.* circa scientiam aliqualiter laxe loquitur, & Doctores dicunt circa eam, cum nobili potente, si alias temporalia Ecclesiæ periclitentur, posse dispensari: Idcirco visum est aliquibus Dominis *deputatis ad reformationem pro Germanica natione*, quod *pro reformatione Episcoporum* tam præsentium quam futurorum, fiat una *constitutio generalis.* In qua primo recitetur per modum exordii, qualiter institutum sit, nomine & figura, Episcopi seu Pontificis, ex vi vocabuli, & etiam Veteri Testamento, ac ex doctrina Apostoli ad Timotheum & ad Titum: Et quomodo sacri canones ex his regulas posuerint, prout *à XXV. Distinctione ad quinquagesimam* prosequitur *Gratianus.* Et specialiter tangantur ea, quæ in *capite secundo distinctionis XXIII.* Et in *capite V. & seq. distinctionis XXXVIII.* habentur; Nec non in *Decretal. libro I. tit. VI. De Electione, cap. VII. & tit.* XIV. *De ætate, qualitate & ordine præficiendorum.* cap. *XV. & tit IX. De renunciatione, cap.* X.

Deputati Germanicæ Nationis pro Reformatione Ecclesiæ.

De Episcoporum Reformatione.

De Episcopi officio.

Et post hæc deploretur *lamentabilis Episcoporum status modernus* in aliquibus partibus. Quia *nonnulli* sunt penitus *idiotæ*, aliqui non in sacris, alii semper in guerris & armis, & plerique nunquam vel raro per se exercent Pontificalia, aut celebrant ordines, vel prædicant, aut visitant, ut tenentur: Sed *principale sui officii committunt titularibus*, etiam levibus personis, & officialibus seu vicariis. Et id, quod accessorium est, & per alios facere deberent, vel potius omittere, personaliter faciunt. Die nocteque placitis & tractatibus profanis & secularibus insudant: Nec recordantur etiam consecrari, per professionem, quam fecerunt. Ex quibus tepescit fides, exulat charitas, & spes salutis adimitur Christianis, infinitaque scandala sunt secuta.

Antiquus Episcoporum status ante Concilium Const.

Titulares Episcopi.

Quare *statuit & ordinat hac sacrosancta synodus*, quod Archi-Episcopi & Episcopi deinceps *sua officia personaliter exerceant, prædicando, visitando*, ordines celebran-

Episcopi quæ debeant exercere officia.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

celebrando, & in suis Ecclesiis, in festivitatibus divina ministrando &c. Nisi justa & rationabili causa fuerint impediti.

Quodque in eligendis & *promovendis Episcopis* examen canonicum de singulis ad hoc requisitis præcedat, sic, quod omnino *personæ* ad tantæ dignitatis fastigium ex omni parte *idoneæ* & non aliæ præferantur.

Nec circa hoc, nisi ex magna, rationabili & notoria causa, in jure expressa, aliquatenus dispensetur, sub gravibus *pœnis, quæ sacro concilio videbuntur optimæ.*

Hæc autem *constitutio*, quæ in effectu mandabit sacros canones servari tam in exercitio officii Episcopalis per nunc promotos, quam in promovendo futuros, *in omnibus cathedralibus Ecclesiis singulis annis bis vel ter*, & præsertim imminentis electionis tempore, cum intellectu debito *publicetur.*

Caput VIII.

Quod nullus eligatur in Episcopum vel Abbatem, nisi sit Doctor sacræ Theologiæ, vel juris canonici vel civilis.

Licet divina eloquia, sanctorumque Patrum canones, *de Prælatorum*, superiorum & inferiorum, aliorumque sacris Ecclesiasticis ministeriis deputatorum, *moribus, conversatione, vita atque scientia*, multa salubria statuerint observanda: Labentis tamen seculi procliva fragilitas à sacris regulis plurimum deviavit.

Raro olim eruditio in Antistitibus Ecclesiæ.

Cernimus enim, quosdam, nedum *insufficientes*, sed quandoque *valde modicæ scientiæ* vel *nullius*, Episcopales cathedras proh dolor ascendisse: Nec non in illis, & in minoribus dignitatibus, beneficiis & officiis Ecclesiasticis, exhortationem sanæ doctrinæ, & *populorum ædificationem nostris temporibus lamentabiliter defecisse*, in tantum, ut *pauci hodie reperiantur, qui Ecclesiasticum ministerium perficiant*, in efficacia verbi Dei.

Ex quo nimium clerus vilipenditur, nervus Ecclesiasticæ disciplinæ dissolvitur, virtutum regula infringitur, vitiorum correctio negligitur, & innumera crescunt pericula animarum.

Volentes itaque *detestabili huic morbo* possibili occurrere cum medela, ultra priores sanctiones *specialibus* duximus *remediis* juxta dignitatem beneficiorum, ac officiorum gradus expressius providendum: Hoc *synodali statuto* perpetuo decernentes, quod, præsupposita *morum & vitæ honestate*, nullus deinceps ad Episcopalem, vel supra, aut abbatialem, qui caput alicujus ordinis fuerit, dignitatem assumatur, seu promoveatur, nisi *in Theologia* seu *jure canonico aut civili Doctor vel licentiatus* extiterit, debiti examinis cum rigore; vel saltem in scientia æquipollens additio.

Episcopos literatos esse debere.

Ad majores autem post Pontificalem aliasve curatas in Ecclesiis Cathedralibus dignitates soli in dictis facultatibus *Doctores* aut *Licentiati.*

Ad alias verò in Cathedralibus & principales in Ecclesiis collegiatis dignitates, *ejusdem gradus*, vel saltem *baccalarei* dictarum facultatum, aut *in Medicina*, vel notabiles *in artibus magistri* de cætero admittantur.

Ubi vero dignitatibus prædictis cura non imminet animarum, *viri morigerati*, præsertim nobiles, valeant admitti, saltem *taliter literati*, qui verba latina intelligere, & congrue noverint explicare.

Eruditorum præmia.

Propterea in qualibet Ecclesia cathedrali ad minus *sexta pars præbendarum*, si prius in eadem tales personæ non fuerint, *doctoribus* aut *licentiatis* in Theologia vel altero jurium assignetur.

Omnia tamen prædicta intelligantur, si infra mensem, postquam dignitates aut præbendæ præmissæ vacaverint, vel aliqua earum, taliter, ut præmittitur, graduati vel graduatus reperti seu repertus fuerit, qui voluerit, & canonice potuerit acceptare. Salvis semper statutis rationalibus fundationis Ecclesiarum & laicorum juribus patronatus.

Nota, quod aliqui volebant inseri *postil-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ri *postillas* infra scriptas. Sed major pars residebat in textu.

Postillæ: Quod si forsan Ecclesiæ notoria utilitas & *sangvinis præclara generositas* svaserint, possint Regum, Ducum, magnorum Marchionum, aut præpotentum Comitum ad Episcopales, vel supra aut infra, aliique Baronum filii, seu militares ex utroque parente, ad alias prædictas dignitates, etiam sine gradibus supradictis, *dum tamen aliàs competentis literaturæ fuerint*, promoveri.

Nobilitatis præsidium.

Cap. IX.

Quod Prælati non sint transferendi inviti.

CUm ex *prælatorum translationibus* Ecclesiæ, de quibus transferuntur, plerumque gravibus in spiritualibus & temporalibus subjaceant dispendiis & jacturis, prælati quoq; nonnunquam jura & libertates Ecclesiarum suarum translationis formidine non adeo solerter, ut alias, prosequantur; Ne ad importunitatem quorundá, quæ sua & non quæ Jesu Christi sunt quærentium, *Romanus Pontifex, forsan ut homo, facti nescius*, in hujusmodi circumveniatur, aut alias leviter inclinetur: *Præsentibus declaramus, invitorum Patriarcharum, Archi-Episcoporum & Episcoporum translationes* ac etiam exemtorum Abbatum, quorum monasteria immediate sedi Apostolicæ sunt subjecta, salvo jure constitutionum ordinum suorum, absque magna, rationabili, notoria, & evidenti causa, quæ vocata parte de consilio sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, vel majoris partis eorundem cognita fuerit, & decisa, de cætero *fieri non debere.*

Ecclesiarum Antistites non esse per artes sedibus excutiendos.

Cap. X.

Contra Simoniacos.

COntra *labem Simoniacæ pestis*, qua decor Ecclesiæ plurimum denigratur, multa remedia per Apostolicos Patres & sacra concilia hactenus excogitata fuerunt, salubriterque provisa. Quæ tamen temporum excrescente malitia, ut experientia docet, optatum non attulerunt effectum.

Volentes igitur, quantum possumus, radicem pestis hujus penitus extirpare, hoc *perpetuo decreto statuimus*: Quod quicunque Ecclesiasticus, cujuscunque status, gradus, ordinis aut præeminentiæ fuerit, etiamsi Archi-Episcopali, Episcopali, Patriarchatus vel Cardinalatus dignitate præfulgeat, qui de cætero circa beneficii Ecclesiastici impetrationem, collationem, provisionem, præsentationem sive dispositionem qualemcunque, *Simoniæ crimen in Romana curia vel extra* per conventionem aut pactionem, sive dando, recipiendo, promittendo, aut remittendo, paciscendo sive mediando commiserit, ipso facto *omni dignitate, officio Ecclesiastico, & omnibus beneficiis suis perpetuo sit privatus.*

Simoniacorum pœna.

Possuntque beneficia tanquam vacantia, dehortatione tamen per prius legitime facta super commissione criminis prædicti, vocatis tamen vocandis libere impetrari & conferri.

Laici vero, qui in hujusmodi culpabiles fuerint, excommunicationem ipso jure incurrant.

Cæterum universis & singulis Ordinariis præcipientes mandamus, quatenus cum omni solertia circa punitionem sic delinquentium taliter intendant, quod de negligentia minime redargui valeant. Quod si negligentes extiterint, per suos superiores, prout facti qualitas exposcit, *sic puniantur, quod cæteris cedat in exemplum.*

Breve

Breve hoc & nervosum Decretorum De Reformatione Ecclesiæ Compendium in Collegio Reformatorum in Concilio Constantiensi SIGISMUNDO IMPERATORE adornatum, Ope antiquissimi MSCti AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS IMPERATORIS INVICTISSIMI LEOPOLDI I. Gratiâ, Brunsvicensium Ducis RUDOLPHI AUGUSTI Auspiciis, An. M. DC IIIC die VIII. Januarii in Academia Julia recensitum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf